

quos triticum Christi servato unitatis vinculo gemit¹ : propterea interposuit, « Viri sanguinum, declinate a me, » quoniam dices in cogitatione, accipient in vanitate civitates suas : » id est, ideo seducent in separationem propriam populos suos, vanitate propria corrumpendos, « Quia tu in cogitatione dices, Viri sanguinum, declinate a me : » ut scilicet merito superbiæ peccatores in spiritu occisi, propterea civitates suas, hoc est, populos suos in vanum accipiant, hoc est, in erroris vanitatem separando traducant, et quasi offensi commixtione palarum, disrupta unitate triticum deserant : quia ipsum triticum, id est, bonos fideles monet, ut ante ventilationem, quæ novissima futura est, non aperte se a malis segreget, ne adhuc eis commixtos deserat bonos ; sed per bonam conversationem et dissimilitudinem vitæ quodam modo tacite illis dicat, « Viri sanguinum, declinate a me. » Hoc enim eis voce Dei dicit, quæ vox in cogitatione est, sicut eam Deus dicit in cogitatione sancti populi sui. Viri autem sanguinum qui sunt, nisi qui oderunt fratres ? Sicut Joannes dicit, « Qui odit fratrem suum, homicida est². » Hoc ergo non intelligentes occisi peccatores, quomodo dicat Deus malis in cogitatione bonorum, « Viri sanguinum, declinate a me, » accusant in eis communionem malorum ; et se per has calumnias separando, « Accipiunt in vanitate civitates » suas. » Hæc vox quæ modo in cogitatione bonorum dicitur malis, aperta erit in illa die, quando eis dicetur a capite ipso nostro : « Nunquam novi vos, discedite a me » omnes qui operamini iniquitatem³. »

XXVII. Nunc autem dicit corpus Christi, quod est Ecclesia, Quid est quod mihi calumniantur superbi, quasi me maculent aliena peccata, et propterea separando se, Accipiunt « In vanitate civitates suas ? Nonne eos qui ode-

¹ Matth. iii, 22. — ² I Joan. iii, 15. — ³ Matth. vii, 23.

» rant te, Domine, odio habui¹ ? » Ut quid a me pejores exigunt etiam corporalem a malis separationem, ut ante tempus messis simul cum zizaniis eradicetur et triticum² ; ut ante tempus ventilationis perdam sustentiam tolerandi paleam³ ; ut antequam omnia genera piscium ad finem sæculi tanquam ad littus separanda perveniant, retia pacis unitatisque disrumpam⁴ ? Numquid malorum sunt sacramenta quæ accipio ? Numquid eorum vitæ factisque consentiendo communico ? « Nonne eos qui oderant te, Domine, odio habui ? Et super inimicis tuis tabescebam ? » Nonne cum zelus domus tuæ comederet me⁵, videbam insensatos, et tabescebam ? Nonne et tædium detinebat me a peccatoribus derelinentibus legem tuam⁶ ? Qui enim sunt inimici tui, nisi qui vita sua indicant quam oderint legem tuam ? Hos ergo cum odissem, cur mihi calumniantur qui « Accipiunt in vanitate civitates suas, » quod mihi imputari possint eorum peccata, quos oderam, et super quibus zelo domus Dei tabescebam ? Sed ubi est, Diligite inimicos vestros ? An quia vestros dixit, non Dei ? « Beati facite, inquit, eis qui oderunt vos⁷. » Non ait, qui oderunt Deum. Ideo iste secutus dixit, « Nonne eos qui » oderunt te, Domine, odio habui ? » Non dixit, qui oderunt me. « Et super inimicis tuis tabescebam : tuis » dixit ; non meis. Sed qui nos propterea oderunt, et propterea inimici nobis sunt, quia Deo servimus, quid aliud quam eum oderunt, et ejus inimici sunt ? Numquid ergo tales inimicos nostros diligere non debemus ? Aut non propter Deum persecutionem patiuntur, quibus dicitur, Orate pro persequentibus vos ? Ergo attende quod sequitur.

XXVIII. « Perfecto odio oderam illos⁸. » Quid est,

¹ Psal. cxxxviii, 21. — ² Matth. xiii, 30. — ³ Id. iii, 12. — ⁴ Ibid. 47. — ⁵ Psal. lxxviii, 19. — ⁶ Id. cxxviii, 53. — ⁷ Matth. v, 44. — ⁸ Psal. cxxxviii, 22.

« Perfecto odio? » Oderam in eis iniquitates eorum, diligebam conditionem tuam. Hoc est perfecto odio odisse, ut nec propter vitia homines oderis, nec vitia propter homines diligas. Nam ecce vide quid adjungat, « Inimici » facti sunt mihi. » Non jam tantum Dei, sed suos inimicos ostendit. Quomodo ergo in eis implebit, et quod ipse dixit, « Nonne eos qui oderant te, odio habui; » et quod Dominus præcepit, Diligite inimicos vestros? Quomodo implebit hoc, nisi illo perfecto odio; ut hoc in eis oderit quod iniqui sunt, hoc diligat quod homines sunt? Nam et tempore Veteris Testamenti, quo visibilibus suppliciis carnalis populus coërcebatur, homo ad Novum Testamentum per intelligentiam pertinens famulus Dei Moyses, quomodo oderat peccantes, cum pro eis orabat, et quomodo non oderat, cum eos occidebat, nisi quia perfecto odio oderat eos? Ea namque perfectione sic oderat iniquitatem, quam puniebat, ut diligeret humanitatem, pro qua orabat.

XXIX. Cum ergo corpus Christi ab impiis et iniquis etiam corporaliter in fine separandum, nunc inter eos interim gemat: et cum illi occisi peccatores tanquam de malorum communione bonis calumniando, et se quasi per occasionem malorum magis a bonis et innocentibus separando, sic accipiant in vanitates civitates suas, ut multi mali adhuc restent, qui eorum separationem non sequantur, sed a bonis usque in finem tolerandi, in eadem permixtione remaneant: quid inter hæc agit corpus Christi, sive centenum, sive sexagenum, sive tricenum fructum afferens cum tolerantia¹? Quid agit proxima Christi in medio filiarum, sicut lilium in medio spinarum²? Quæ sunt voces ejus? quæ conscientia? quæ species filiæ regis intrinsecus³? Ecce audi quid dicat: « Proba me

¹ Matth. xiii, 23, et Luc. viii, 15. — ² Cant. ii, 2. — ³ Psal. xlii, 14.

» Deus, et scito cor meum¹. » Tu Deus, tu proba, tu scito: non homo, non hæreticus, qui nec probare novit, nec scire potest cor meum, ubi tu probas et scis quia non consentiam factis malorum, et illi me putant contaminari posse peccatis aliorum: ut dum ego in longinqua peregrinatione mea facio, quod in alio Psalmo gemo, id est, Cum iis qui oderant pacem sum pacificus², donec perveniam ad illam visionem pacis, quod interpretatur Jerusalem, quæ est mater omnium nostrum, civitas æterna in coelis; ipsi litigando et calumniando seque separando, « Accipiant, » non plane in æternitate, sed « In vanitate » civitates suas. Proba ergo me, Deus, et scito cor meum: » scrutare me, et cognosce semitas meas. » Utquid hoc? Attende quid sequitur.

XXX. « Et vide, inquit, si via iniquitatis sit in me, » et deduc me in via æterna³. Scrutare, inquit, semitas » meas, » id est, consilia et cogitationes meas: « Et vide » si via iniquitatis sit in me, » sive faciendo, sive consentiendo: « Et deduc me in via æterna. » Quid aliud dicit, quam, deduc me in Christo? Quis est enim via æterna, nisi qui est vita æterna? Æternus enim est qui dixit, « Ego sum via, veritas et vita⁴. » Si ergo aliquid inveneris in via mea, quod displiceat oculis tuis, quoniam via mea mortalis est; tu « Deduc me in via æterna, » ubi nulla est iniquitas: « Quia etsi quis peccaverit, advocatum » habemus apud Patrem Jesum Christum justum. Ipse est » exoratio pro peccatis nostris⁵: » ipse est via æterna sine peccato: ipse est vita æterna sine supplicio.

XXXI. Magna sacramenta, fratres. Quomodo nobiscum loquitur Spiritus Dei? quomodo nobis facit in hac nocte delicias? Quid est hoc, rogamus vos, fratres, unde dul-

¹ Psal. cxxxviii, 23. — ² Id. cxix, 7. — ³ Id. cxxxviii, 24. — ⁴ Joan. xiv, 6. — ⁵ I Joan. ii, 1.